

*Arundo epigejos* erat specimen quod misisti.

*Scopuli* opus scripsit author se ad me misisse, ura cum literis, literas accepi, sed librum minime, maxime optarem librum videre, cum dubium esse nequeat, quin ab eo multo addiscam.

Devotissima mea dicas egregio *Mygindo*, qui lynceis certe oculis plantas rimatur, utinam posset pro hortis comparare semina rarissimae istius *Drypis*.

Columbas Tuas ambas nequeo extricare, ob summam breviter descriptionis, cum plurimae sint apud Indos *Columbae* species. Dolendum quod *Columbae* passerinae nolint se propagare dum mansuetae, quae aves erint pulcherrimae.

*Cynosurus caeruleus* est certe gramen singulare; quod forte posset novum genus constituere; ego istud saepe adspexi, necdum mihi ipsi satisfeci.

*Justiciae* corollam et fructum a *Ruellia* et *Barleria* ex figura distinguere valde difficile judico. *Dianthera* certe facie et habitu adeo differt a *Justicia*, ut vix facile combinarem.

Si ultima peccaverim breviter respondendo, hoc quaeso tribuas meis negotiis. Doceo quotidie una hora publice, una privata multis, una Danis, duabus Ruthenis. adeoque cum locutus sum ante meridiem quinque horis, post meridiem correxi typographi impressiones, scripsi quotidie mss. pro typographo nova, literas ad Botanicos plurimos, curavi Hortum, negotia curiosorum et studiosorum, quae hic plura quam alibi, nec non curavi Praedia mea, certe vix mihi tempus edendi multis diebus adest, ut si me videres, doleres sortem meam, qui deinde cinctus vasta familia et debeo vivere cum Popularibus et nobiles et Peregrinis, qui huc appellunt. Sed excuses in posterum studebo attente magis procedere.

*Justicia monanthera* singularis erit, nec capio quomodo queat esse unicum stamen in hac gente. Haec etiam raptim. Upsaliae 1761, d. 20. Martio.